PA 3875
.R3 C6
Copy 1

COMMENTATIO LITERARIA.

AC
817

COMMENTATIO LITERARIA

CONTINENS

ANNOTATIUNCULAS

AD

ARISTOPHANIS RANAS

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI ANTONII FRUIN,
Iur. Rom. et Hod. Doct. et Prof. Ord.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARIAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

PETRUS JACOBUS COSIJN,
e pago Rijswijk.

DIE XXVI JUNI MDCCCLXV, HORA I.

Traiecti ad Rhenum,
TYPIS GIEBEN & DUMONT.
MDCCCLXV.

PA 3875
.R3C6

PARENTIBUS SACRUM.

PRAEFATIO.

Quum academico stadio decurso argumentum quaererem, quo tractato summos in literis honores petere ex lege mihi liceret, Aristophanis Ranas explanatoriis annotationibus illustrare tandem constitui. Praestantissimorum igitur interpretum editionibus diligenter ac religiose usus jamque omnia subsidia exhausta ratus, audacter tentavi quid in eo genere possem. Nihil erat quod molirer. Neque enim noram egregiam illam editionem, quae Fritzschii studio et opera elucubrata est. Quae si prius in manus incidisset, profecto aut incepto destitissem aut temporis et operae fecissem compendium; at nunc absolutae paene commentationis initium rursus capere et ipsa verba compendii facere eram coactus. Nempe omissis omnibus quae ille mihi praeripuisset, ea tantum breviter annotanda putavi, quae aut illi non concederem aut cum illo contra alios, quoad vires valerent, defenderem.

Neque autem una in Fritzschii auctoritate acquievi. Nam et ea quae Meierus et Kockius de Ranis, Lessingius de universa comoedia praeciperet, neutiquam a me neglecta esse apparebit. Tantum vero

abest ut mihi ipse satisfaciam, ut meae ipsius expectationi nullo modo responderim. Sed ab academica bibliotheca remotus, scholasticis muneribus distentus, aestumatissimo praeceptore, Viro clarissimo Karsten heu! tristi fato destitutus, hoc juvenilium Studiorum specimen absolvere debui. Quod absolvi, ut potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae ac subsidiorum inopia coegerunt. Quod ne sic quidem absolvere poteram, nisi a defuncti praeceptoris successore, clarissimo Viro van Herwerden, liberaliter essem adjutus. Quocirca Tibi, Promotor Spectatissime, maximam habeo gratiam, qui summam illam humanitatem ac benevolentiam erga me contuleris. Restat ut et Vobis gratias agam, Viri clarissimi Rovers et Opzoomer, quos per plures annos audire mihi contigit, alterum critica ratione historiam et antiquitates explicantem, alterum philosophia duce Veri investigandi vias aperientem. — Vobis persuasum habetote me nunquam singularis Vestrae et humanitatis et institutionis fore immemorem.

Nec Te praeterire mihi licet, Vir clarissime Brill, cujus scholis de Belgicis Literis ita interfui, ut ea ipsa studia retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa, aliquando revocarem. Pro fructuosissima igitur institutione proque summa Tua in me comitate et benevolentia facere non possum quin maximas gratias Tibi agam.

Vos denique veri amici, quos habui ὀλίγους τε φίλους τε, valete et ita mei memores estote ut ego Vestri nunquam obliturus sum.

Scr. Viscotis m. Maj. A. MDCCCLXV.

ANNOTATIUNCULAE.

---

1. Primarum secundarumque partium actores in scenam progressi obscoenos comicorum quorundam jocos perstringentes non tam Bacchus et Xanthias quam histriones videntur quibus illae partes datae sunt (Cf. i. p. v. 16). In recentiorum quoque comoediis actores et personae quas tenent interdum separantur. Quae libertas tragicis poetis non conceditur.

1. 'Non sine causa Xanthias dicitur' (Meierus) Igitur flavis fuisse videtur capillis? Non sum nescius poetas comicos *τὰ τυχόντα ὀνόματα* personis imponere solere. Cf. Aristot. de Arte Poet. c. IX et quae Donatus ea de re attulit. 'Nomina personarum, ut ait, in comoediis dumtaxat habere debent rationem et etymologiam (lege: rationem etymologiae). Hinc servus fidelis Parmeno, infi-

indelis Syrus vel Geta, puer ab odore Storax vel a ludo et a gesticulatione Circus et item similia. In quibus summum poetae vitium est si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit' Cf. imprimis Lessingii Hamb. Dram. C. XC.' die Comödie gab ihren Personen redende Nahmen, Nahmen die man nur hören durfte um sogleich zu wissen, von welcher Art die sein würden, die sie führen' Etsi Xanthiae nomen non ad mores refertur sed ad speciem, tamen etiam in istiusmodi minutiis comicum agnosco.

13. Admodum scite Aristophanes et Phrynichum aemulum, quicum tum ipsum certabat, et spectatores, quod salibus ejus popularibus delectarentur, h. l. perstringit.

13—15. Frustra Meierus durissimam ellipsin comprobare conatus est *ὥνπερ* (*ποιοῦντας*) *Φρύνιχος εἴωθε ποιεῖν.* — Neque Brunckii explicatio probabilior. Nusquam enim *τὸ ποιεῖν τινι tribuendi* vim habet. — Quod attinet ad Bothei conjecturam *κεἰ* pro *καὶ*, nihil caussae est cur Lycis Amipsiasque 'bono illi viro' Phrynicho postponatur. — Dindorfius aliique permulti versum 15. cancellis seclusit, quod non bajuli, sed obscoeni eorum joci improbentur. Idque recte si *φέρουσ'* le-

gitur. Accedit quod ita Aristophanes se ipsum improbasset bajulum quippe inducens, quod rectissime a Fri. observatum est. Ergo ne *ἀνακολουθίᾳ* quidem (*ποιεῖν, καὶ Λύκις κἀμειψίας σκεύη φέρουσι*) locus explicari potest.

Codicum auctoritatem h. l. non ita acriter impugnans conjectura difficultatem expedire malim. Commendo igitur *σκεύη φέρονθ'*, quod propter tres *ποιητὰς* illos *ὑποψύχρους* depravatum videtur. Sic enim statuo *Λύκιν* aut *Λύκον* et obscurum poetae nomen et pluralem numerum h. l. intulisse. De Lyco, Fri. accedo sententiae, scribendum esse *Λυκισκαμειψίας*. Sed locus apponendus est: "Tum noster Lyciscus poterit Amipsiae comici famulus haud indoctus fuisse, cujus opera ille in scribendo similiter usus fuerit atque Choerili Ecphantides, Euripides Ctesiphontis: dummodo ne in poetarum numero habeatur. Nam ignorabilis iste comoediae poeta *Λύκις* sive *Λύκος* ferro et igni tollendus est. Non minus speciose hic Lyciscus videri poterit histrio Amipsiae fuisse. Lyciscus Atheniensis rebus eo ipso tempore Ol. 93. 2 gestis inseritur a Xenoph. Hellen. I, 7, 13."

Quid vero *τὸ σκεύη φέρειν?* Optime scholiasta credo rem explicat *τὸ σκεύη φέρειν ἀντὶ τοῦ σκευη-*

φόρους ἄνδρας ποιεῖν. Quo nihil facetius. Ipsi enim poetae bajulare dicuntur qui bajulantes histriones inducunt, sicuti v. 13 Xanthias idem facere cupit quae Phrynichus i. e. quae histriones in Phrynichi fabulis bajulantes facere solent. In Scholiastae interpretatione etiam Porsonum, Hermannum et Boissonadium acquiescere video.

37. 'Simul et manuum edit Strepitum (*ἐπάταξεν*) simul pedibus calcat januam. (*ἐνήλατο*).' Illud recte, hoc perverse addit Meierus. Neque enim Herculis verba ad vivum resecanda sunt. Nam ignarus est quid foris agat Bacchus. Is januam clava experitur quo personam digne sustineat. Quod comice dicitur *ἐνάλλεσθαι* Centaurorum more. Accuratius enim explicat *τὸ πατάσσειν*.

38. Ubinam potissimum scena statuenda sit, haud pauci quaesiverunt. De Thebis cur cum schol., Botheo & Welkero cogitemus caussae nihil est. 'De platea aliqua Athenarum quae per portam Diomeiam ad Cynosargen, celebratissimum Atticorum Heracleorum, ducebat' cogitavit Mei. En merae conjecturae! quibus Vossii opinionem de Melite pago ideo plausibiliorem duco, quod et Hercules schol. teste *Ἐλευσινίοις τοῖς μικροῖς* ibi initiatus esse dicitur neque ea repugnant quae vs. 501 de

Xanthia quaeque vs. 429 de Callia legimus. Hunc enim et Melitensem fuisse et in illo pago habitasse constat.

41. 'metuit te vel potius tibi ne insanias' eleganter Mei.

48. Calliam exagitat. Quo pacto id interpretum acumen fugerit non intellego. Vide quae ad vs. 429 adnotavimus.

48. Quae alii de ambiguo verbo *ἐπεβάτευον* i. e. *ἐπιβάτην εἶναι* et *ἐπιβαίνειν* annotarunt, hoc adjicere lubet haud leviter Clisthenem h. l. perstringi, quod Bacchus *ἀνδρογύνου* vestitus rationem rogatus eius classiarium se profitetur. Unde satis apparet qualis ipse dux fuerit.

51. Verbum *ἔγωγε* observes velim. Vertendum est *equidem*, non *ego*. Xanthias enim se ipsum saltem arrogantiae suspicione liberat — nihil de domino.

54, 55. Interpretes qui istiusmodi versiculos ex Euripidis tragoediis depromtos esse opinantur, vel scholiastae exemplo sanari possunt dissimillumos inter se versus conferentis. Tragicus enim color comico poetae abunde sufficit.

70. Haec verba perperam a quibusdam explicari intellexi. Euripidem enim propter permulta in arte tragica peccata quasi Iovi repugnasse et idcirco in-

Tartaro seclusum esse voluerunt. Neque enim sentiunt nil nisi flagrantem Euripidi amorem iis verbis exprimi.

73. 'Verba non ita accipienda sunt quasi non constet Herculi Iophon sitne inter vivos an non sit.' Nempe eodem redit si quaeris 'nonne Iophon in vivis est' ac si alium reprehendis 'at vero Iophon in vivis est.' Idem valet de versu 89 *οὔκουν ἕτερ' ἔστι μειρακύλλια*, Quorum poetarum non barbaram loquacitatem (ut Bohtz, Bergl. et Bru. interpretati sunt) sed garrulitatem inanem exagitat.

78. Cur Iophontis ingenii periculum non fecit priusquam iter periculosissimum susciperet? Festive Sophoclem virum facilem, contra Euripidem *πανοῦργον* vitae cupidissimum vocat. Vides igitur Herculem a Baccho de vera causa celari, amorem dico Euripidis, cui nullum poetam comparat.

78. Quo jure ex his verbis probetur Iophontem nullam usque ad hoc tempus fabulam composuisse non intellego. Nempe Sophocle vivo hoc vitio ei dabatur quod a patre in scribendo esset adjutus, nunc autem quod Sophoclis tragoediis pro suis uti non dubitaret. Id experiri voluit *ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον*, ne iis quae pater scripta reliquerat uti posset.

89. Simplicissima illa Xanthiae interpellatione (*περὶ ἐμοῦ δ' οὐδεὶς λόγος*) Xenocles, Pythangelus ceterique id genus poetae acerbius quam ulla Bacchi exsecratione (*ἐξόλοιτο νὴ Δία*) aut reticentia vellicantur. Siquidem ita poeta significat, se iudice, plus valere bajulum quam malos istos poetas. — Infra quoque vs. 113 ne Venerem quidem vinosus obliviscitur deus sed pernecessarii servi est immemor.

116. Si de tragica arte adhuc esset sermo, verba *καὶ σύγε* aptissime Baccho assignarentur. Nunc vero Herculi danda sunt (*en gij nog wel!*) quibus se ipsum, germanum Herculem, mollissimo quasi imitatori opponit.

122, 124. *κρεμάσαντι σαυτὸν*, et *ἡ διὰ θυείας*, sicut infra *κάτω*, ab antecedentibus quae Hercules ambigue loquitur, mora interposita, separanda sunt. Scite enim Herculis aenigmata dissolvunt.

131, 133. Festive Hercules ei persuadere conatur, ut excelsam Timonis hominum osoris in exteriore Ceremico turrim escendat, spectatorum clamorem '*inde*' exspectet, tum vero et se ipse mittat — deorsum. *Ἐντεῦθεν* enim propter caesuram et verborum sententiam ad *θεῶ* referri opinor. 'Lampas' vero 'quae mittatur' cursus initium

significat *ὅταν οἱ πρῶτοι λαμπαδίζοντες ἀφεθῶσιν.* Quo Bacchum ludat, dicit *εἶναι*, quod si significaret *καθεῖναι* (demitte) non erat cur Bacchus rogaret *quorsum*, quippe cui una eademque tum esset via quae lampadi. Nec scholiasta de face demissa quicquam tradidit. Quodsi spectatorum non fuerit initium certaminis *jubere*, illum saltem in cuius hoc esset potestate, iis morigerari solitum esse hinc discimus.

168. *ἐπὶ τοῦτ'* Fri. *ἐπὶ τὴν ἐκφοράν* inani repetitione. Vertendum est *si quis ad hoc* i. e. ad sarcinas portandas *paratum se praebet.* Num versus (coll. v. 170) spurius censendus? Obstat, opinor, nimia praecedentis versus brevitas, quae ista explicatione utique indiget. Nec versum 170 virga censoria notari licet, quippe quo enarretur quid post scenam agant.

171. 'Te dico, non vespillones qui te portant'. Mortuus in scenam nondum prodiit. Continuo apparet, vespillones non item. Neque iis opus est et inepta tum fuisset Bacchi interrogatio. — Aut toties mortuum inclamat, quod *τεθνηκόσιν λέγει, οἷς οὐδὲ τρὶς λέγοντες ἐξικνούμεθα.* (cf 1175)

173. Mortuus non statim denegat, sed *σκευάρια* illa rogat quanta sint. Quod jam nos docuerunt

Xanthiae querelae, docuit etiam responsum mortui, velle se quidem stragula illa ad inferos comportare si modo duarum drachmarum mercedem accipiat. At duobus tantum obolis indiget, quibus Charontis ope paludem transmittat. Igitur mortui quoque, ut postea cauponarum illud nobile par, nummos concupiscunt.

174. Verba ita convertenda sunt. '*Vos* (parci tenacesque!) *mihi discedite*' Perversissime alii '*vos vespillones pergite.*' Recte igitur Bohtz '*eos facessere jubet*' et Mei '*eos abire procul jubet*' Cf Aves 1012 *ὑπαποκίνει τῆς ὁδοῦ* et 1017 *ὑπάγοιμι τἄρ' ἄν.*

180. Aptissime hanc scenam Herculis et Charontis Ranis inseruit poeta, quo facilius ab Athenarum urbe ad Orcum Bacchum sequamur. Simplicissima quidem scenarum compositio per totam fabulam admiratione digna. Eleganter Kockius observat mortuum munere perfunctum scenam relinquere '*wo er bleibt das ist seine Sorge.*' Neque enim poeta, quibus non indiget, abutitur.

180. *τὸ πλοῖον* quod nondum viderat sed de quo Hercules narraverat, spectatores jam conspicati sunt. Verba magis in Xanthiam conveniunt sarcinas iterum tollentem. — Hunc versum sicut

jocum de asino inepte damnat Hamaker Mnem. VI, p. 211.

180[b]. Mutata scena Bacchus et Xanthias ad cymbam procedunt. Quod ad verba illa, Charon non remigem suum, sed mortuum quendam ad citeriorem ripam navem appellentem inclamare videtur. Neque continuo vectores citare putandus est; dum tarde revehitur *τὴν δικωπίαν ἐρέττων μόνος* (Luc. Char. 1) Bacchi quoque salutatio triplex moram affert. Interim spectatoribus novae scenae contuendae facultas datur.

181. At verba *τουτὶ τί ἐστι* post Brunckium Xanthiae tributa Dionyso utique danda sunt. Quaerere enim domini, respondere servi est, dein interrogare cadit in sollicitum et anxium, qualem tota fabula novo quoque aspectu Dionysus se ostendit.

182. *καὶ πλοῖόν γ' ὁρῶ*, quod palude conspecta nunc demum cernit.

184. Festive Botheus Charontis surditatem probare conatur conferendo Mozartii dramate musico *die Entführung aus dem Serail*, ubi vetulus servus ac surdaster (*Osmin* nominatus) semel iterumque rogatus vix respondet (Scena II). Morosum potius quam auribus captum eum habere multo malim,

quod in umbrarum nautam magis conveniat 'qui ne ter quidem salutantem resalutat.'

184. Neque de Achaei Eretrientis dramate neque de mortuis quicquam probari potest Sin autem mortui adfuissent luctuosum praebuissent spectaculum (Fri)? Quidni risum concitassent? Quippe hoc ex inductionis ratione pendebat. Luctum vero fugissent; recte enim Cicero *in comoediâ turpe tragicum.*

189[b]. *Omdat gij het zijt* (et rectissime Kock *weil du es bist*). Quasi gratificatio sit Charontis, si ad Morboniam appellat. Meierum ridiculum fugit et quotquot cum eo vertunt *'ja zu dienen.'* Quod etiam a Charontis indole abhorret.

191. In pugna ad Arginussas insulas Athenienses dimicasse dicuntur *περὶ τῶν κρεῶν* (nos *de cute*). In qea enim victoria ultima salus. At proprio neque insulso sensu verba accipit Xanthias, de carnibus se certare non potuisse quippe qui tum ipsum lippiret ('quo vitio cognosci solent voraces'). Cum ventrioso domino edax servus belle conjunctus est. De Palmeri conjectura *περὶ κρεῶνα*, de Gatakeri nugis deque iis qui de cadaveribus non sepultis somniaverunt (sicuti nescio quo pacto Brunckium statuisse videtur) nihil est quod addam. Jam Aristarchi

tempore fuerunt qui legerent *νεκρῶν*, quae inepta videtur explicatio. Nempe 'necesse est genitivo eam ipsam rem de qua pugnatum est contineri.'

197. Omnia 'superis ab oris' tralata sunt. Nautae instar Attici magna voce vectores citat.

209. Simulac remis incubuit ranae *τοῦ κελευστοῦ* i. e. Charontis vice funguntur, quo commodius Bacchus remiget remigandi artis quamvis imperitus (205).

217. Scholiastam sic emendo: *Λίμνη τόπος ἱερὸς τοῦ Διονύσου ἐν ᾧ* [*καὶ οἶκος καὶ νεὼς* lege] *καὶ οἰκεῖος νεὼς τοῦ θεοῦ.*

221. Nimirum *κελευστὴς* (h. l. ranae) remigis labore neutiquam defatigatur.

226. Non in celeriores Ranarum cantus numeros exsecratur, sed carmen Euripidis admiratori vehementer displicet; *οὐδὲν γάρ ἐστ' ἀλλ' ἢ κοάξ.*

228. *πολλὰ πράττων* (Bru. vertit *male curiose*) *is* dicitur *qui se suumve judicium in res interponit quae nihil ad se pertinent.*

230. Punctum post *παίζων* in comma mutetur, quod verba *ἕνεκα δόνακος* ad Musas quoque et Pana referuntur.

239. Cum Dindorfio haec verba Baccho tribuere malim, a quo ranarum cantus ita egregie *παρῳδεῖται.*

Sin ranis ascribuntur, de verborum lepore aliquid imminuitur.

247. *ἐν βυθῷ* opponuntur antecedentibus *διὰ κυπείρου καὶ φλέω.*

250. Iterum ventris crepitum voce imitatur. Igitur hoc a ranis sumpsit, quasi hoc iis debeat! Imprudens acu rem tetigit dormitans schol.: *τοῦτο παρ' ὑμῶν ἔμαθον.* Ironice ranae sibi *aliquid* eximi queruntur.

256. Verba sunt Bacchi suo more coaxantis. Unde certamen oritur perridiculum.

262. Ranarum *κοάξ* iteratur a Baccho ut v. 239.

264. *κεκράξομαι* i. e. [*ἐγκύψας*] *ἀποπαρδήσομαι* [*βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ*]. En audacissima sane explicatio quae nonnullorum bilem fortasse commovebit. Tamen istiusmodi certaminis imaginem animo fingo. Neque enim interpretes mihi satisfaciunt mira narrantes. Fri. *τουτί* de plagis explicat quas Bacchus ranis infligat. Remigare igitur desierit. Attamen Charontis verba ad remigantem spectant. *ὦ παῦε παῦε* sc. *τῆς κωπηλασίας* ut rectissime schol.; neque enim Bacchus remigandi coaxandique studio flagrans ripam animadvertit. Audacius Hermannus correxit *τουτὶ* (plagas!) *παρ' ἡμῶν λάμβανε.* Quo jure ipse viderit. Alii verterunt *hoc a vobis*

aufero, vobis eximo (Ita Bru., Conr., Voss., Welck.) Quid vero abstulerit, non facile dixerint. Alii certamen in eo positum esse putant ut Bacchus remigando ranas, ranae coaxando Baccham devincant. Igitur victae obmutescunt bestiolae faucium contentione invictissimae?

257. *οἰμώζετ'*, *querimini* scil. carmen irrisum (cf. 239), sicut infra 279 *ὡς οἰμώξεται* scil. irritam ostentationem.

284. *ἀγώνισμα*. Perperam Kock *Abenteuer*. Intelligitur enim certaminis praemium de quo postea glorietur. Quae autem addit subtiliter observata sunt.

285. 'Innumera *θηρία* et *ὄφεις* quae Hercules commemoraverat nusquam conspiciuntur.' Neque 'Empusa machinae cuiusdam ope in scena adhibetur.' Nequissimus enim servus, ut gloriantem acriter perturbet, eam a se conspici simulat; neque enim certum designat locum (*'ξόπισθεν—πρόσθε*) neque ipse perterritus esse videtur quum notissimum (294) spectrum accurate et jocose (*σάφ' ἴσθι*) describat. Quocirca Xanthiae verba *ποῖ δ' ἐγώ; ἀπολούμεθ' ὦναξ 'Ηράκλεις!* ironice dicta videntur, cuius et haec et reliqua omnis oratio lepore et facetiis condita est.

301. Dominum prae terrore celeriter aufugien-

tem inclamat *ἴθ' ἧπερ ἔρχει, perge qua is*, tum vero statim e conspectu evolantem mendacio dimisso revocat ne solus relinquatur.

307. Neque Empusam vidit sed prae terrore a se visam esse opinatur, neque propter immutabilem quam gestat personam expallescere potest, qui jam prima fabula rubicunda est facie.

308. Hisce verbis Xanthias vinosum quendam Bacchi sacerdotem ex inopinato risui tradit. Sive vulgatam tuemur lectionem *μου*, sive cum Rav. Cod. *σου* legimus, facete admodum vinosus ille *ἱερεὺς*, ad quem deus confugere conatur, ob ruborem exagitatur, quasi Dionyso deo timuisset. — Restat ut de personarum vicibus quaeramus. Fri. Bacchi perturbationem nihil impedire arbitratur, quo minus ei versus 308 attribui posset. Quem Xanthiae potius quam Baccho assignare malim quod ab ejulanti penitusque perculso domino dicacitas nimis aliena videtur, quam ut ea verba ab una eademque pronuntientur persona. Pergit enim ejulare Bacchus *οἴμοι—οἴμοι* vss. 307, 309, nec verba sua inepte interrumpit. Festive suo more Xanthias fictum domini pallorem et desiderium Euripidis i. e. itineris causam nunc illudit. Etenim Bacchi clamoribus dicacissimi servi

facetiae eleganter quidem oppositae sunt potiorque ita exsistit et dialogi dispositio et personarum quem vocant *χαρακτηρισμός*.

312. Bacchus omnem suam in Empusa cogitationem mentemque figens a Xanthia excitari debet *οὗτος—οὐ κατήκουσας;* afflictum enim dominum ut sui parem liberius alloquitur. Vide etiam v. 479.

313. E tibiarum cantu facumque aura *μυστικωτάτῃ*, dein ex choreutarum quoque clamoribus Iacchum deducentium Eleusinia sacra in Orco celebrari Xanthias, Bacchus, spectatores percipiunt. Timidissimus deus servum libere loquentem non semel tantum silentium agere jubet cum praesertim latebra quadam abstrusi sunt. Exinde choreutae myrteis redimiti coronis in Orchestra Eleusinia agere coeperunt, quorum multi sacrorum ritus turbulentis illis temporibus (Alcibiade iterum exsule) omitti debebant. Spectatoribus igitur nihil jucundius erat, quam in horum orgiorum celebrationis ne apud inferos quidem omissae memoriam redire. Quibus ut totos se dedant, Bacchus et Xanthias paulisper obmutescunt. Bis tamen chorum interpellant, Xanthias suillae carnis odore, Bacchus pulcerrimae saltatricis conspectu allectus mammillam non ita diligenter contegentis (415).

320. ὅνπερ Διαγόρας, suggerendum est ᾄδει s. ᾖσεν. Quod h. l. idem valet ac διασύρει, ἐν εἰρωνείᾳ κειμένου τοῦ λόγου. Unde detractionis comica vis clare apparet. Neque enim de prioribus Diagorae carminibus sed de Φρυγίοις λόγοις cogitandum est, quapropter parum recte μελῶν ποιητὴς ἄθεος a schol. vocatur. Nempe 'in eodem homine pro temporum ac studiorum ratione diversum plane ingenium erat.' Sed fac sodes philosophum nostrum Melium a poeta Iacchi cantore distinguendum esse, hoc tamen loco Διαγόραν τὸν ἄθεον i. e. philosophum intelligendum esse non facile neges. Hunc vero in Eleusinia (τὰ παρ' αὐτοῖς(mysteria peccasse tradit Iosephus in libro contra Apionem (II, 37), idem docente Tatiano in oratione contra Graecos (p. 164 A). Athenagoras denique disertis tradit verbis ab Atheniensibus eum impietatis accusatum esse, quod non modo Orphica, verum Eleusinia quoque mysteria evulgasset. Jure igitur Lysias in oratione contra Andociden in peregrina mysteria peccavisse eum dicit utpote Melium in Eleusinia initia delinquentem.

Brunckii scripturam ὥςπερ ab interpretibus si non refutatam at summo jure spretam esse intel-

lego. Quam si probaremus, non Diagorae sed mystarum Iacchum celebrantium impietas a Xanthia derideretur. Quo nihil ineptius.

Fuerunt qui statuerent Diagoram non Melium sed praestigiatorem (*τὸν Τερθέα*) quendam h. l. illudi. Quem scholiasta in Hermippi Parcis irrisum tradit *ἐπὶ μεγέθει*. Cuius sane proceritas quid huc pertineat, nemo sanus intellegit. Sin Euripidis fuerit actor, Iacchum parum recte forsitan celebraverit. De Hegelocho cogites velim. Euripidis enim actor potius quam philosophus impius h. l. desideratur.

Vulgo conferunt v. 329 Nub., ubi *τὸν Μήλιον* ad Diagoram spectare putant. Perperam. Tum enim illa Diagorae significatio valde dubia esset et incerta. Verum a Diagora et Aristagora, utroque et Melio et *ἀθέῳ*, cognomen illud in contumeliam acceptum videtur. Interpretes enim mirum quanta negligentia Suidae de Aristagora verbis usi sunt. *Μήλιος διθυραμβοποιός, ὃς τὰ Ἐλευσίνια μυστήρια ἐξορχησάμενος καὶ ἐξειπὼν ἀσεβέστατος (ἀσεβείας) ἐκρίθη.* Acu rem tetigit ita pergens *καὶ ἀπ' ἐκείνου τοὺς Μηλίους ἐπ' ἀσεβείᾳ κωμῳδοῦσιν.*

324. Ad Plutonis fores adventum est. Scenam igitur in Orco, non Eleusine versari luce clarius

est. Perplura autem in Orcum transferuntur quae Eleusine peragi solebant. Ita in Orco quoque Atheniensium mores et instituta reperiuntur Recte enim Less. H. D. XLVII.: "Einheimische Sitten erleichtern dem Dichter die Arbeit und befördern dem Zuschauer die Illusion."

Accedit quod et ridiculum est diversa ita conjungi (ut Av. 1856) et vera Orci descriptio verorumque deorum inductio a comoediae natura mirum quantum abhorret, quippe quae altiora semper fugiat.

Illi igitur errant interpretes, qui *ἐνθάδε* de Iaccheo in Ceramico urbano interpretantur. Etiamsi recte statuant qui Eleusine in Eleusinio Iacchum Cereri *σύνναον* fuisse monuerunt, propriam tamen significationem *in Orco* h. l. praefero *τῷ κατα χθονίῳ Διονύσῳ*, quem apud inferos pariter atque Eleusine celebrari videmus.

340. *ἥκει* optime vertit Fritzschius *venit*, *adest.* Choreutae enim futura praesentiunt (cf. *φλέγεται*, *πάλλεται* praesenti tempore usurpata). V. 395 iterum Iacchum advocant.

346. Perperam genuinam librorum scripturam *ἀποσείεται* in *ἀποσείονται* commutaverunt interpretes poeticum sermonem parum curantes nec

sentientes versui ἀντιστοίχῳ perperam illud opponi (329 περὶ κρατὶ σῷ βρύοντα). Ita explicandum est: *genu saltando iis excutit, pellit curas.*

352. ad florida irriguaque prata. Opp. σκληρός.

354. Sequitur chori pars perverse a schol. στροφὴ καὶ εἴσθεσις χοροῦ ἐπιρρηματικὴ vocata. Recitatur enim a prioris hemichori coryphaeo qui hierophantae partes hic agit. Arcanum sacerdotis carmen admodum festive expressit poeta ne mysteria aliquo modo enuntiare videretur neve aliena comoediae immisceret. Qua praefatione s. προρρήσει a sacris suis arceri jubet eum qui musica orgia nec viderit nec saltarit nec Cratani taurivori linguae Bacchanalibus initiatus sit scurrilibusve dictis intempestivis delectetur. Spectatores igitur Musicum pro mystico festo celebratum iri augurantur. Nempe superbum intellegentium judicium in Euripidis et Aeschyli lite disceptanda solum requiritur.

361, 362. Hoc loco certos indicare, non in genere loqui idcirco videtur, quod istiusmodi reipublicae proditiones enumerat, quae nisi paullo ante essent factae, nunc vix aegreque essent commemoratae.

377. ἡγίστευται δ' ἐξαρκούντως 'jam satis deos sacris ritibus celebravimus' quid huc pertineat non

intellego. Nam continuo *τὴν Σώτειραν* celebrare jubentur, idque eodem modo quo antea Iacchum. Neque Brunckii probabilior videtur conjectura scribentis *ἠρίστευται* (jam satis est victoriae) quod a Fri. quoque receptum video. Quorsum enim victoriae mentio in Eleusiniorum celebratione? Sin *ἠρίστηται* sive vulgatam tuemur lectionem, statuendum est aut jocatum esse poetam *εἰρωνικῶς* prandium commemorantem, quum Eleusiniorum tempore a cibis abstinerent — aut (si hoc durius) Meieri probabilem esse annotationem 'spectare id ad lautiorem victum choreutis a choragis praebitum, praesertim cum probabile sit porcinae carnis (cujus odore Xanthiam captum vidimus) aliquid gustasse chorum, antequam in orchestram introierit.

377. Quaenam illa *Σώτειρα?* Dückerus de Minerva cogitavit, quare schol. ita corrigit: *ἔστι γὰρ Ἀθηνᾶ Σώτειρα λεγομένη ἣ καὶ θύουσι* (pro *Ἀθηνῆσι*). At vero apud Lacedaemonios (non Athenis) Minervae hoc cognomen datum fuisse affirmat. Rectissime Dindorfius Cererem hic intellegi posse negat, quum infra alio carmine frugiferam deam celebrent. Neque de Diana, quae Megaris et apud Megalopolitas hoc nomine colebatur, cogitandum est. Dianae enim in Eleusiniorum celebratione

inepta est mentio. Proserpina igitur significari videtur, quippe quae in Orco Minervae nunc vice fungatur, quamque Pausanias illo nomine ornatam fuisse tradit. Hoc sane miror eodem carmine et ad Sospitae, urbis servatricis, laudes chorum excitari et ipsas deae laudes contineri.

391. *τῆς σῆς ἑορτῆς* ad Cererem spectant. At Meierus dubitavit an ad Cererem quoque et Iacchum Lenaea pertinuerint, quod ceteroqui religiones contaminatae essent visae, si sic Eleusinia transferrentur; quod regi et *ἐπιμεληταῖς μυστηρίων* cura et Eleusiniorum et Lenaeorum sollennium esset data, quodque ea, quae ad comoediam pertineant, vs. 404 sqq. Iaccho inventa tribuantur. — Verum enim vero Eleusinia neque transferuntur neque ea transferre licebat. Quodsi esset factum, non Lenaea sed ipsa Eleusinia essent violata. De vs. 404 sic statuo, comicum chorum, tragico parciorem, sandalia diffissa laceramque tunicam tribuere Iaccho quippe *τῷ κατα χθονίῳ Διονύσῳ*. Nihil enim facetius, nihil elegantius quam ejus modi poetae inventio, ut Bacchus Lenaeorum tempore poetam theatro suo dignum desiderans in Orcum descendat ibique *τὸν κατα χθόνιον Διόνυσον* pariter ac se ipsum Athenis celebratum videat.

Neque autem Lenaea, sed Eleusinia aguntur, quippe quae sola in Iacchum et in Orcum convenirent. Rectissime denique observatum est Aeschylum et Eleusinium fuisse et Eleusinia sacra semper plurimi fecisse, quod infra quoque confirmatur vs. 886. Cum pio sanctoque poeta mystarum pars, quae in Orchestra remanet chorumque constituit, aptissime est conjuncta.

389. Spanhemius monet 'in festis gentilium qui potior in dicendis facetiis evaderet, tanquam victorem corona seu vitta redimiri. Igitur totus hemichorus facetiis dicendis vincere potest? Scilicet spectant ea verba ad ipsas Ranas, quas propter *σπουδαῖα* illa et *γέλοια* egregie mista Musas et Cleophontem victuras esse sperant choreutae. Cf. Av. 445.

396. *τὸν συνέμπορον τῆςδε τῆς χορείας* perperam *τροπικῶς* vertendum esse monuit Beckius. Aliud enim *choreae socius*, aliud *choreutici itineris* (ut ita dicam) *socius*. Significat enim et iter per viam sacram et choreas quas Eleusine Iaccho duce acturi sunt.

401. Ad haec illustranda interpres quidam horribili quadam accuratione contulit Euripidis vs. 702 [689] Phoen. *πάντα δ' εὐπετῆ θεοῖς!* Alii conferri jubent Baccharum chorum vs. 67 [adde etiam

84]. Nisi quae in Dionysum quadrant argutius in Iacchum transtulerunt. Praecedentia enim verba spectant ad iter per viam sacram haud parvi sane temporis propter et mystarum multitudinem et ea quae inter viam fieri solebant. Eatenus haec via fortasse πολλὴ dicta est.

416—419. In γεφυρισμοῖς, quibus mystae Cephissum transgredientes se petebant Archedemum primum irrident, septuennis quod phrateres nondum haberet. Proverbium ab infantium dentitione ductum. Irridetur igitur ob peregrinitatem, non quod dolo malo in civium tabulas irrepserit.

420. Ingeniose Fri. verba ἐν τοῖς ἄνω sejungens a νεκροῖσιν, hoc de iis qui ad Arginussas occiderant explicat. Xenophontis enim testimonio (Hell. I, 7, 2) efficitur Archedemum praecipue Erasinidis ceterorumque ducum condemnationis caussam fuisse. Tum νεκροῖσι δημαγωγεῖν ex analogia τοῦ ἀνάσσειν, στρατηγεῖν τινι dictum est. Quae sententia etsi non una vera videtur, tamen hoc probat, verba illa ambigue esse dicta, quo facetissimi loci lepos mirum quantum augetur. Ceterum verborum τοῖς ἄνω νεκροῖσιν acerbitatem recte ostendit Bergl.

415. βούγομαι sane non dictum est pro ἂν βουλοίμην. Quocirca haec ἱερεῖ aut choreutae cui-

dam, sequentia vero *κἄγωγε πρός* Xanthiae, nec insulse, tribuo. Servus enim, et infra venerem non fugiens, nunc in vetitum nititur. Quo nihil facetius.

422. Argumenta quae Meierus attulit ad tuendam conjecturam suam *τοῦ Κλεισθένους* hoc tantum probant *τὸ ἀκούειν τινός* nonnunquam pro *περί τινος* esse dictum nec quicquam amplius. Infinitivus enim abest. Jam schol. *τοῦ Κλεισθένους* legisse videtur, quod loquitur de filio Clisthenis *οὗ τὸ ὄνομα οὐκ εἶπεν.* Neque autem constat Clistheni fuisse filium neque eum tum ipsum fuisse exstinctum. At Fri. conjecit eum ad Arginussas cecidisse ac sepultum fuisse *ἐν ταῖς ταφαῖς* ulterioris Ceramici, *ὅπου οἱ ἐνδόξως τετελευτηκότες ἐθάπτοντο δημοσίᾳ* (Ar. 395). Neque tamen de Clisthenis fortitudine loquutus est poeta. Pathicum contra virum et supra et nunc denotat. Sin vera sunt quae ad vs. 48 adnotavimus, etiam mollis et ignavus fuerit. Quodsi Cl. *ἐν ταῖς ταφαῖς* non sepultus fuisse videtur, nihil est cur statuamus eum ipso Ranarum tempore vivere desiisse. Quo acrius virum perstringit.

De filio ejus *ἐν ταῖς ταφαῖσι* Sebinum quendam exspectante nihil accuratius cognitum habemus. Hoc certum est per filium patrem irrideri. Verum

tamen num filius unquam exstiterit dubitari licet.

427. σεβῖνος (et ἱπποβῖνος) a βινεῖν derivandum esse rectissime adnotarunt. Eadem est terminatione qua gentilia, quasi unum de pathicorum gente indicet. Nec secus, sed contrario modo sequens ἀναφλύστιος transfertur (ἀναφλῶν).

Errant qui pro σε(αυτὸν)βινῶν id dictum putant.

428. Ut supra patrem per filium irrisit, ita hoc loco filium per patrem exagitat.

429. τοῦτον τὸν indicant personam quae adest. Pessime igitur schol. ὃν πάντες ἴσασι δηλονότι. Significat enim aut τὸν δᾳδοῦχον (qua dignitate Calliae familia erat ornata) aut Bacchum quem Calliae instar ad Arginussas leonina amictum cum κύσθῳ (Clisthenis? recte sane Hotib. pro κύσθου) pugnasse scimus. Choreutae enim deum ad se aggredientem conspiciunt.

439. De Jovis filio Corintho sarcinis intexto cogitari non licet. Proverbium ἐπὶ τῶν τὰ αὐτὰ συνεχῶς λεγόντων. Male Fri., duas ponens interrogationes, scripsit ἀλλ' ἤ, quod non nisi post interrogationem usurpatur. Scribi oportebat ἀλλ' ἦ. Nam durius est uno tenore τουτὶ τί (= οὐδὲν ἄλλο τοῦτ') ἦν τὸ πρᾶγμα ἀλλ' ἢ Διὸς Κόρινθος ἐν τοῖς στρώμασιν.

451. Verbum *καλλιχορώτατον* alii interpretantur *τὸν κάλλιστον τρόπον τοῦ χόρου*, alii in eo notionem *χόρου* obscurius latere opinantur. Est autem simplicissima explicatio *τὸν κάλλιστον χόρον περὶ τὸ Καλλίχορον* sc. *φρέαρ*, quoniam a pulcris choreis puteus cognomen sumsit.

459. Ut supra Hercules, mortuus, Charo ranaeque, ita nunc mystae scenam relinquunt non redituri. Quod in omnes cadit personas praeter Bacchum, Euripidem, Aeschylum, Chorum mysticum. Ceteri enim ad illustrandam comoediam sunt inducti, quae ipsa angustioribus est finibus circumscripta (850—1481), quibus proprium fabulae consilium continetur. Duae igitur distinguendae sunt comoediae partes, haud sane inter se disjunctae, sed quarum altera alterius introitus est habendus.

Recte Kock. eos reprehendit, quibus id 'eine Verletzung der Einheit des Dramas' esse videbatur. Perridiculum enim non Athenis, sed in Orco disceptationem fieri poetarum, qui paulo ante essent mortui et Atheniensibus tristissimum sui desiderium reliquissent. Ad id autem perficiendum, opus erat ut ab Athenarum urbe tristissimoque ibi literarum statu fieret initium, unde Baccho duce ad Orcum

transgrederemur. Similiter celeberrimus ille Anglicus Henricus Fielding argumentum suum tractavit libro qui inscribitur 'a Journey from this world to the next.' Hoc addo, certamen poeticum, si tota fabula exponeretur, non satis delectationis habiturum fuisse spectatoribus.

460. Bacchus metum dissimulans, quasi nesciat quomodo apud inferos janua pulsetur, hoc ridicule a Xanthia perquirit, qui id ipsum nihilo magis notum habet. Interrogationis iteratione s. *ἐπαναλήψει* (*τίνα—τίνα*) dubitatio magis et anxietas, quam alacritas exprimitur, ut perperam alios statuisse video.

478. Admodum ridicule Aeacus simulac Herculis audivit nomen, nihil praeterquam terribiles illas exsecrationes fundit. Quas graviter et magna voce eloquutus confestim avolat, quasi cum monstris, quae Tartarus terribilia maxime contineat, rediturus sit. Quae vis praepositionis *ἐπὶ* alibi quoque (69, 111) apparet, hic vero a nullo quod sciam interprete observata est. Septuaginta post versus Gorgones jam adsunt.

465. Jam antiquitus dubitatum est Aeacusne an janitor vulgaris sub ministrantis persona lateret. Quippesch oliasta hic illic Aeacum ab eo distin-

guit et Rav. et Ald. Codd. in personarum indice Aeacum et *οἰκέτην* sive *θεράποντα Πλούτωνος* seorsus posuerunt. Apud alios autem scriptores Aeacus et janitor Orci vocatur et cum Cerbero conjungitur. Deinde hoc tenendum est, v. 605 irati janitoris minas optime convenire in eum, cui servis infernalibus ut Bacchum catenis vinciant imperandi potestas est; tum vero Aeacum vs. 738 sqq. — ubi omnes eum agnoscunt — ita cum Xanthia confabulari, ut dubitari nequeat quin ipse Bacchi servique supplicio interfuerit. Quid tandem est cur mirere eum, quem alii summo habuerint honore, in hac Ranarum comoedia in humillimi janitoris locum esse detrusum, ubi vel deos ne servis quidem praestantiores inductos reperias?

470. Haec omnia apud tragicos haud vehementer desideres. Sunt enim ridicule ficta aut belle *παρῳδοῦντα*. Muraena vero Tartesia Gorgonibusque Tithrasiis ét lautissimas quae mox eum alliciunt epulas et nobile illud cauponarum par significari, haud absurde a Fri. observatum est. De Gorgonibus sane Tithrasiis dubitari nequit (Cf. 478). Nec de epulis vereor ne argutius non statuerit. Nam *Ταρτήσιος* ambigue dictum esse recte ostendit Kock.

494. Verbum *ληματιᾶν* desiderativis potius quam morbum vitiumve significantibus verbis ascribam. Significatio enim explicatur vel potius augetur sequentibus *κἀνδρεῖος εἶ*, quibuscum *τὸ δυσληματαῖν* male congruit. Vertendum est '*siquidem fortitudinis specimen, documentum tui dare cupis et animosus es*'. Ipse enim heros suam *ἀφοβοσπλαγχνίαν* vehementer addubitat. Adjectivum *ληματαίας* grammatici manum redolet male correctricem, cui sequens *εἶ* erroris caussa fuit.

501. Honorificentissimo illo nomine Calliam per stringit. Ambigue ut solet. Nempe dicit *οὐκ Μελίτης*, quatenus Herculem fratrem, *μαστιγίας* quatenus Xanthiam in eadem persona coniunctos videt. Levis autem illa mutatio pro *οὐν Μελίτῃ* non offendit, Neque enim de semideo Hercule, qui Melitae *colebatur*, sed de Hercule, qui ibi *habitabat*, i. e. de Callia, sermonem esse apparet.

508. Perversissime Welkerus die Frösche pag. 142: 'Es könnte scheinen Xanthias schlage die Kost nicht in Ernst aus, sondern nehme sich nur, statt wie ein Sklave zuzugreifen, in der neuen Rolle eines Herren possirlich vornehm und preciös. Allein er spricht vielmehr gar nicht nach seiner Rolle, sondern nach seiner Natur und macht sich aus

dem Essen wirklich nicht so viel [omitto quae de Sileno adjecta sunt]; erst die Mädchen machen Eindruck auf ihn. Dabei neckt sein Ausschlagen den Herakles, der als Sklave wenigstens mitgenommen wâre und dem dieser Kirchenzettel der gethanen Tausch verleiden musste.' Immo quid dominus censeat non explorato, ad coenam promittere non audet. Rectissime autem ita pergit: 'die Verkleidung wird noch lächerlicher und täuschungsloser da Herakles selbst sich zum Essen nicht hätte nöthigen lassen.' Quo nihil verius. Herculem enim *τὸν βουφάγον* ad coenam invitatum abnuere admodum ridiculuum.

519. *ταῖς ὀρχηστρίσιν* ad tibicinas ire cogitat dominae immemor a qua illae conductae sunt. Cf. Bergl.

529. *ποίοις θεοῖς;* Sophistam agit impium. Cf. praeter ea quae Fri. laudavit, Av. 1233.

546. *ἀτ' ὢν αὐτὸς* perperam Latine redditur *jam per se ipse.* Convertas potius *utpote qui ipse.* Spectat enim ad Xanthiae morem *τοὐρεβίνθου δράττεσθαι.* Scholiastam quoque audias *ὡς ταῦτα τοῦ Ξάνθίου ποιοῦντος* cet.

548. Hotibius conjecto *κόρους* (a. *κείρω*) inusitatum verbum pro vulgari substituit. Verum apud

Galenum *χόρος ὀδόντων* singulari numero usurpatur neque apud Eustathium indictum est. Neque interpretes dualis numerus *τὼ χόρω τὼ προσθίω* puto offenderet. Quocirca pluralem pro duali usurpatum esse opinor: *anteriorum dentium ordines*. Quod ad vocem, etiamsi apud Galenum et Eustathium non exstaret, Bacchum tamen comoediae quasi deum, verbum ita transferre non erat mirandum.

557. *τὸ κοθόρνους ἔχειν* nescio an tecte Theramenem Bacchi naturam significet, licet caupona proprio sensu de cothurnis loquatur, quibus ille indutus est.

554. Nisi inepta videtur illa adjectio *ἀν' ἡμιωβολιαῖα*, statuendum est semiobolaria frusta satis magna fuisse. In Herculem enim *βουφάγον τὰ πολλὰ* (ut 555), *τὸ πολύ* (ut 558) tantum quadrant. Subtiliter Bergl. 'aut potius *ἀνημιωβολιαῖα* sunt non-semiobolaria i. e. quae plus constiterint quam semiobolo — vult enim rem exaggerare.' Jocus cauponae sane subtilior quam qui probetur. Atqui prorsus alia est ambigue dicta explicandi ratio ad vs. 557, ubi poeta, non caupona jocari putandus est.

580. Parum eleganter Fri. pro *τοῦ λόγου* conjecit *τούτου τοῦ λόγου*. Delet enim alterum illud *παῦε*, quod duplicatum orationis alacritatem

mirum quantum auget. Ὁ λόγος infra quoque dicitur pro ὁ σὸς λόγος (Cf. vs. 623 δίκαιος ὁ λόγος).

574. Haec verba olim a grammatico quodam Baccho, a Meiero nuper Xanthiae data sunt, a neutro recte. Neque enim Bacchus eo est animo ut minis utatur neque Xanthias eo processit furoris ut dominum exsecrari audeat. Neque Xanthiae est in Orco βαράθρου mentionem facere, neque si faceret, esset id ipsum ridiculum. At Caupona barathrum infernale commemorans risum commovet. Accedit quod utramque cauponam Baccho comminitari consentaneum est, quum et utraque furtum antea sit conquesta. Quocirca brevior illa exsecratio in Plathanen egregie convenit, quae tota scena alterius cauponae verba tantum expleat.

Adhuc Baccho dum in Orco versatur, praeter illas formidines quarum metu identidem territatus est, nihil omnino mali accidit. Quem nunc manet supplicium, manent verbera, ut postremum et divina eius natura, quae nulla sit, salse irrideatur, et mirificis eius in Orco casibus egregius imponatur finis. Festivissima igitur haec scena aptissimum ad alteram comoediae partem praebet transitum, in qua summo tragicae litis disceptatori partes prorsus aliae datae sunt.

Quod ad verbera, servi vapulantes quamvis commune esset comicorum argumentum nec raro ab iis pertrectatum, noster vero poeta vulgaria ista se aspernari gloriatus sit (*δούλους—οὓς ἐξῆγον κλάοντας ἀεί* Pac. 744), hic tamen adjuncta ridicula illa Bacchi et Xanthiae dissimulatione grata quadam novitate non caret.

588. Si non Dionysus cum commentitia sua familia, at Archedemus saltem dispereat, contentus est, praesertim quum persuasissimum ei sit Bacchum jusjurandum servaturum esse nunquam.

607. Aeaci ira nondum defervisse videtur. Brevius loquitur ad supplicium sumendum promtissimus. Cum Dindorfio *μαχεῖ* ceterorum scripturae *μάχει* praefero. Neque enim pugnat, sed pugnam parare videtur.

610. Non sane Xanthiae haec verba tribuenda sunt, quasi ironice loquatur. Nempe ad incitas redactus dissimulatione non utitur, sed pacisci potius quam imparem pugnam inire mavult. Quae si vera sunt, haud mediocriter errat Meierus, qui scholiastae ineptiis adductus, et Xanthiae verba ascribit, et eum revera pugnasse, recalcitrasse, adversarios plagis infligendis ab se arcuisse statuit. Idem pessime versum 612 Aeaco assignandum putat, qui

Baccho haud dubie tribuendus est. Deus enim ad Aeacum se convertit, cujus benevolentiae captandae causa simulatum Herculem incusare non desistit. Par pari refert.

621. *Πράσος* et *γήθυον* fertilitati nocere adnotavit Fri. Recte an secus, nihil ad nos. Eo ipso loco patet istiusmodi verbera nonnisi jocantes sibi inflixisse. In eo tantum, quod plantae illae Baccho odio fuerint, ridiculum ponit Fri., non sentiens insulsam ita exsistere sententiam, quod Bacchus, etiamsi ipsae plantae ei odio fuerint, istiusmodi tamen verberum odium non sane habuisset.

624. Jam Aeaci ira, astutia et simulata liberalitate Xanthiae mitigata est; quam ob rem postea ita levem clementemque se praebet, ut dubitari liceat, jocane an seria cum illis agat. Cf. 658.

635. Bacchus Xanthiam propriis verbis irretitum tenet. Nam deum deo verbera minantem et ipsum verberari aequum est. Tantum vero abest ut Bacchus de se nihil laboret, si nequissimus modo servus male mulcetur, ut maxime minando Xanthiam a sententia deducere studeat. Praesens tempus *τύπτει*, pro futuro, egregie valet ad verborum gravitatem augendam.

644. Voculam *ἰδοὺ* Meierus perperam interpre-

tatur, quasi adhortantis sit eademque fere significatione, qua *ἄγε*, *φέρε*, imperativis adjiciatur. Fri. autem comparans Germanicum illud *zu dienen*, spectare id dicit ad antecedentia *ἀποδύεσθε δή*. Ita prorsus existimo. Efficitur vs. 483 non scribendum esse *ἰδοὺ λαβέ*, neglecto librarii interductu, sed interposito commate *ἰδού*, *λαβέ*, *en* (spongia), *accipe*. Ita v. c. Luc. Dial. IX, 6 *ἰδού σοι οὗτοσὶ δελφίνων ὁ ὠκύτατος*. Hoc loco igitur idem fere valet, quod *en*, *paratus sum* vel simile quoddam. Eatenus est *jussa facientis*. Vestem enim exuit.

645. Cod. Rav. una verborum continuatione praebet *ἤδη 'πάταξας*, sequentia vero *οὐ μὰ Δί'* Aeaco, *οὐδ' ἐμοὶ δοκεῖς* (ita quoque schol.) Xanthiae tribuit. Neque autem apparet, quo pacto Aeacus negare id possit, cuius ex verbis *ἀλλ' εἶμ' ἐπὶ τονδὶ καὶ πατάξω* contrarium efficitur, nec Xanthiae est ea verbera attendere, quae protinus sensisse se negat.

Vulgo legitur *ΑΙ. ἤδη 'πάταξά σ'*
Ξ. οὐ μὰ Δί'
ΑΙ. οὐδ' ἐμοὶ δοκεῖς κτέ.

Hoc quidem recte, quod et hic (ut 651, 656, 663) Aeacus verbera praedicit. Verum temere negat Fri. verba *ἤδη 'πάταξά σ'* Aeaco tribui posse,

quod nulla videatur caussa, cur nullo interrogante subito ea dixerit. Quo nihil clarius. Nempe Xanthias ne tantillum quidem se movet nec plagas sensisse videtur (vel intentis oculis aliquid contuetur Aeaci quasi immemor). Tum vero Aeacus *ἤδη κτέ.* Verba *οὐδ' ἐμοὶ δοκεῖς* parum recte a Brunckio vertuntur *nec mihi videris sensisse.* Suggerendum potius *πατάξαι*, siquidem Xanthiae tribuenda sunt: *οὐ μὰ Δι', οὐδ'* (Kock minus recte *οὐκ*) *ἐμοὶ δοκεῖς* i. e. *non verberasti,* tum vero addita caussa cur id neget *ne mihi quidem id videris.* Male Bentl. *δοκεῖ*, subaudiens *ὑποκινῆσαι*, quod unde arcessat non apparet. Si quid mutandum, legendum est *οὐδ' ἐμοὶ δοκῶ* (sc. *πατάξαι*), quae verba Aeaco utique tribuenda sunt. Nempe vocabula *οὐ μὰ Δι'* in Xanthiam quadrant nec quicquam amplius; *οὐδ' ἐμοὶ δοκῶ* Xanthiae verbis opponuntur; dein ex *ἀλλὰ* apparet *οὐδ' ἐμοὶ δοκῶ* cum sequentibus esse conjungenda. — Quae omnia vera sunt, etiamsi nihil mutetur, subaudiatur contra *παταχθῆναι.*

646. Difficilius est acquiescere in Fritzschii emendatione huius loci. Monet enim librarios versuum ordinem turbasse, quo factum esse, ut versus 645 cum sequenti locum permutaverit. 'Adeo Bacchus ex-

cruciatur diuturna exspectatione verberum, si quidem impendentis mali vel maxima solet esse carnificina. Is igitur πηνίκα (sc. πατάξεις) ex eo quaerit anxius.' Ita Beckius quoque statuit; neuter recte. Tantum enim abest, ut Bacchus sollicite id roget, ut ambigue adeo jocetur κᾆτα πῶς οὐκ ἔπταρον (= ἔπαρδον). Recte igitur schol. ὡς μὴ αἰσθόμενος καὶ αὐτὸς ὁ Δ. λέγει πότε με ἔτυψας. Tum nihil illo versu spinosius, quo Xanthias ex Acaco quaerit an jam percusserit, Acacus primum id neget, tum verberat, Xanthias denique absurde 'nec mihi, inquit, percussisse videris.'' In quo alterutrum verum est, inepte Xanthiam aut rogasse aut respondisse. Neque enim Bacchum quicquam novi docuisset, nec Acacum vel paullulum demoratus esset.

649. τί τἀτταταῖ Acaco, non Baccho tribuendum est, ad similitudinem vs. 653 (Neque Bacchus 2ª usus esset persona). Τῷ ἀποπειράσεται acrius se verberaturum esse significat.

653. Bis eum interrogat quod τῷ ἱππέας ὁρᾶν clamores, non lacrymae excusantur. Sequentia arte cum Bacchi verbis conjuncta sunt 'igitur cepae, non verbera lacrimas elicuerunt, ἐπεὶ προτιμᾶς γ' οὐδέν; Quae a Fri. Xanthiae dantur, ut conjectura

conjecturam probet 'quoniam tu nihil curas verbera, ne mihi quidem senio sunt' (*οὐδ' ἐμοί*).

658. Spinae inhaerentis, non ictus dolore flagrat. Num vero Aeacus inopem consilii se fingit [Ita Fri.]? Audias facetissimum virum Bergl. 'simulat Aeacus se non animadvertere illos dolorem celare non posse et ineptas caussas suspirii et fletus praetexere. Nempe propterea id simulat, ut amplius eos verberet.' Ita quoque schol. *ὡς δυσκρίτως ἔχων τοῦτο λέγει ὁ Αἰακός*. Recte ita statuunt. Etenim *ἄνθρωπος ἱερὸς* et similia sunt jocantis, neque eius qui serio agit. Atqui repugnant vv. 668—671, ubi revera consilii inopem se profitetur. Vides igitur apud comicos ridiculum vel quid libet (cf. Equ. 1316) plus interdum valere, quam insulsam personarum morumque constantiam. Verberare enim desinit, ne spectatoribus languorem afferat, homunculos ad dominum adducit, quoniam dramatis contextus hoc maxime postulabat.

659. Eleganter summus tragicae artis judex ad dolorem dissimulandum versiculos nonnullos, ut quisque succurrit, adhibet. Ridicule deus deum invocat.

661. Non video, ut vitiosa Hipponactis commemoratio Bacchi verbis plusculum salis asperserit.

Quocirca non Bacchum sed Aristophanem errare existimo. Scholiastae enim fidem h. l. abrogare non ausim.

663. *οὐδὲν ποιεῖς γὰρ, nihil efficis, frustra laboras.* Quod perperam Fri. interpretatur (si sibi constat) *nihil facis* i. e. aut *justo lenius* aut *ad irritum cecidisti* fugiente Baccho. Dicit enim dorsum Bacchi aliquantulum obduruisse, ventriosi autem ventrem esse demulcendum (mulcandum). Astute efficit, ut in Bacchum novum cruciandi genus adhibere incipiat. Quod aegre ferentes editores, Aeaco justiores Xanthiae ictum intulerunt loco quodam commenticio, pulsandi officio praeclare ita functi. Atqui lacuna nulla est, nec Aeaci verbis (veluti hoc modo: *δεῦρο πάλιν βαδιστέον*) indicatur.

664. Ad integrum trimetrum restituendum cum Hermanno scribendum est *Πόσειδον. Ξ. ἤλγησέν τις. Δ. ἁλὸς ἐν βένθεσι*, interjectis iis quae Bacchus celerius pronuntiat, ut tum demum ad interpellatum senarium redeat. Cf. Ach. 494. Verba *ἁλὸς ἐν βένθεσι* apud schol. non leguntur (quod fidem ejus probat), verum ea h. l. vehementer desidero. Quippe Bacchus post talem digressionem se recipit interruptumque senarium, quasi non ingemuerit, ridicule supplet.

SCENARUM CONSPECTUS.

Act. I. Sc. I.

Initio fabulae actores conspiciuntur duo, alter Bacchi, alter Xanthiae partes sustinentes. Uterque jam primo conspectu risum movet. Prodit enim Bacchus crocota, cui pellis leonina injecta est, et cothurnis indutus, manu clavam tenens. Ipse obesum trahens corpus pedibus iter facit: sequitur Xanthias servus, asino ille quidem vectus, sed ingenti sarcinarum pondere gravis. Qui de attrito humero identidem conquerens captiose a domino arguitur non ipsum, sed asinum onus ferre; quibus Bacchi *sophismatis* tandem cedere cogitur. Subinde ad Herculis aedes perventum est, qua propter in itinere subsistunt.

Act. I. Sc. II.

Hercules Bacchi strepitu foras excitatus fraterculum primum ridet, dein rogat cur tandem sua

insignia cum muliebribus istis vestimentis conjunxerit. Respondet Bacchus poeta sibi opus esse tali, qualem cognoverit Euripidem, superstites enim, praeter Iophontem fortasse, poetas omnes inani garrulitate hirundinibus similes tragicam artem corrumpere; velle se quidem Euripidem ex Orco reducere, sed fratris indigere habitu et consilio, qui Cerberi rapiendi causa illa loca adierit.

Hercules *de tragicis breviter loquutus* Euripidem perstringit, fratrem verborum ambiguitate deludit. Omnia autem frustra expertus, ut ab audacissimo eum revocet consilio, periculosissima via breviter descripta salvere eum jubet scenamque relinquit.

Act. I. Sc. III.

Xanthias stragula vixdum posita iterum tollere jussus dominum modeste precatur, ut bajulum ad ista portanda conducat. En mortuus apparet! Bajulare autem recusat nisi largiorem accipiat mercedem. Cuius superbiam detestatus *generosissimus* servus sua sponte denuo bajuli laborem suscipit. Sic ad Charonem perveniunt.

Act. I. Sc. IV.

Hic *nautae Attici* instar magna voce vectores

citat, quos ad varias Orci regiones traducturus est. Bacchus cymbam conscendit, infortunatissimus vero servus lacum circumire dominumque ad *Ἀναίνου* lapidem opperiri jubetur.

Act. I. Sc. V.

Bacchus ipse manus proicere et strenue remigare jubetur. Simulac remis incubuit, multae Acherusiae paludis ranae *τοῦ κελευστοῦ* numeros coaxando referunt. Quarum petulantiam exsecratus crebris peditis carmen in obscoenos risus deflectit, unde certamen exoritur satis ridiculum. Mox ad ulteriorem ripam pervectus, naullo soluto in terram egreditur.

Act. I. Sc. VI.

Ter citatus Xanthias e longinquo respondet, mox laetus apparet. Ignari regionis, re brevi consultata procedunt, nec usquam formidines ab Hercule commemoratas conspiciunt. Jam vanissimus deus gloriosius de se praedicans fortitudinis documentum dare studet. Quem *lepidissimus* servus Empusae descriptione haud mediocriter perturbat summaeque timiditatis et ignaviae convincit.

Act. I. Sc. VII.

Ex taedarum aura et tibiarum sonis, dein ex mystarum Iacchum deducentium clamoribus initiatos accedere intellegunt. Ad chori carmina audienda latebris se abstrudunt.

Taedis per scenam collucentibus mystae apparent. Post sollennem hierophantae praefationem, qua omnibus poeticae patriaeque perditoribus sacris suis interdicunt, Iacchum, Proserpinam, Cererem alternis cantibus et choreis celebrant. Quin etiam γεφυρισμοὺς imitantur, quibus Archedemum, Clisthenis filium, Calliam acriter perstringunt. Quo facto mulieres sacerdote quodam duce abeunt, remanent viri poetico certamini interfuturi.

Act. II. Sc. I.

Bacchus ad Plutonis fores se versari a choro edoctus, januam clava vehementer pulsat. Apparet Plutonis janitor Aeacus. Is Herculis nomen vix audivit, quum horrendis exsecrationibus usus Cerberi raptori atrocissimas poenas minitabundus denuntiat, ad quas repraesentandas velociter abit.

Act. II. Sc. II.

Pseudohercules, cui saevissimae Aeaci minae alvum civerunt, humi jacet, spongiam quaerit, servo irridente aegre surgit. Tandem animum colligens Herculis insignia sumere jubet Xanthiam, quo se durioris alvi ostendat. Ipse Xanthiae vestibus indutus et sarcinis oneratus procedit.

Act. II. Sc. III.

Inopinato Proserpinae prodit famula, quae Herculem dominae jussu comiter invitat. Xanthias dominum metuens non sine cunctatione ad coenam se promittit.

Act. II. Sc. IV.

At Bacchus, qua est perfidia, leoninam et clavam sibi reddi jubet et ipse domum intrare cogitat.

Act. II. Sc. V.

Aedes introiturum cauponae accedunt duae, quae leonina et clava conspectis Herculem furibundae insectantur, qui Cerberi rapiendi causa in Orco versatus innumeras suas merces comedisset, nec pretium solvisset ullum. Haud levia minatae ad patronos arcessendos avolant.

Act. II. Sc. VI.

Bacchus periculum reformidans infimis precibus servum aggreditur, ut Herculis insignia denuo sumat. Is miserabiliter roganti liberaliter tandem cedit. Quapropter vestes iterum commutant.

Act. II. Sc. VII.

Continuo adest Aeacus cum infernis suis ministris. At Xanthias Cerberum se rapuisse constanter negat, quod ut probet puerum tormentis interrogari jubet. Ad incitas redactus Bacchus divinam suam naturam profitetur, Xanthiam deum esse negat. Verbis ultro citroque habitis pacto conveniunt, ut si uter vapulans clamat, is mortalis numeretur. At fictas suspirii causas proferentes Aeacum ita fallunt, ut totam rem ad Plutonem et Proserpinam rejiciat.

PARABASIS.

Sequitur pulcerrima parabasis, cuius in *ode* poeta Cleophontis originem peregrinam, in *antode* pessimi balneatoris Cligenis mentem turbulentam exagitat, in utroque *epirrhemate* saluberrimi reipublicae consilii auctor est.

Act. III. Sc. I.

Xanthias et Aeacus in scenam iterum progressi *pessimorum servorum indolem* sermonibus referre gaudentes familiaritatem mox inter se contrahunt. Interea in Plutonis aedibus ingentes fiunt clamores. Caussam ita enarrat Aeacus: praestantissimo in suo genere cuique artifici solium a Plutone assignari solere, in tragica poesi principem semper habitum esse Aeschylum. Venisse autem in Orcum Euripidem, et, omnium, quos allexisset, scelestorum auxilio fretum, tragicum solium sibi vindicasse. Plutonem denique consensisse ad singulare utriusque certamen, certantes judicaturum esse Bacchum.

Act. III. Sc. II.

Post brevem chori praefationem Aeschylus et Euripides conspiciuntur coram Baccho de primatu certaturi. Ad verborum contumeliam descendentes mox ad silentium compelluntur, ut certamen parent.

Act. III. Sc. III.

Ture accenso Chorus Musas, Cererem Aeschylus, Euripides aethera et peculiares quosdam deos in-

vocat, Bacchus severissime se ex artis legibus judicaturum esse sancte dejurat.

Act. IV. Sc. 1.

Exordium facit Euripides inquirendi in adversarii tragoedias, quarum haec praecipue vitia enumerat: Nioben et Achillem silentes primum inductos, dramate jam paene medio peracto voces quasdam emisisse grandes, obscuras, terrficas, quibus spectatores exspectatione suspensos perturbarent. Nec alio spectare reliquas ejus tragoedias proeliis et ineptissimis, qualia in Persicis aulaeis exprimi solent, monstris repletas.

Se contra tumidam illam artem purgationibus ad maciem reduxisse, extenuatam Creticis monodiis et Cephisophonteis versiculis enutrivisse, omnibus personis democraticam dicendi libertatem instituisse; *Melpomenen* denique *in vitam humiliorem et domesticam introduxisse*, quo argute et versute omnia persequi spectatores doceret.

Act. IV. Sc. II.

Ad haec Aeschylus ita respondet: poetae esse corrigere, non corrumpere homines; *se* Homerum

sequutum *viros effecisse bellum spirantes*, *Euripidem* contra Phaedras et Stheneboeas producentem *civium mores penitus corrupisse;* divites pannosis ejus regibus similes trierarchias detrectare, juvenes sophistarum nugas palaestrae anteponere, sacrorum ludorum splendorem civium mollitie obsolescere, pessimis denique demagogis civitatem et effeminatis civibus esse repletam.

Act. V. Sc. I.

Tragoediae vitiis ita summatim expositis ad prologos se convertunt. Frustra Euripides *obscuritatem* in rebus exponendis et *inanes pleonasmos* Aeschylo objicit, frustra in varias captiones se induit. Tum Aeschylus adversarii prologos propter tomen penthemimerin auribus aequabilius accidere probat. Nempe alterum cujusque versus hemistichium verbis *lecythulum deperdidit* ridicule supplet. Ergo Euripidem ampullam (i. e. operam et oleum) prorsus perdidisse festive coarguit.

Act. V. Sc. II.

Neque haec sufficiunt. Nam tibicine concinente Euripides omnia aemuli *μέλη* ad unum redigens, carmen profert *obscurum*, quippe ex diversis adver-

sarii versibus compositum, et *versu quodam intercalari inepte refertum*. Pariter Aeschylus, ut et suas persequatur injurias, et Musae Euripideae *τῆς Λεσβιαζούσης* s. fellantis exemplum fingat, ad testarum crepitum adversarii *μέλη* et monodias haud insulsa parodia pervellit, qua *metri* et *musices leges violatas*, *argumenta humiliora eque medio petita*, *oratorias* denique *figuras putide inculcatas* reprehendit.

Act. V. Sc. III.

Restat ut poetica quadam trutina utriusque versus examinentur. Lances igitur manu tenentes versum recitant. Coccyzat Bacchus. Omissae staterae lanx Aeschylea multo inferius vergit. Nec semel Euripides insolito hoc certamine superatur.

Act. V. Sc. IV.

Bacchus judicium differens, ne alterutrius imicitias suscipiat, eum abducere constituit, qui maxime utilia civitati suaserit. De Alcibiade igitur quid opinentur, ex iis quaerit. Euripides civium animorum fluctuatione explorata nihil certi, contra Aeschylus adulto leonti morigerandum esse respon-

det. Iterum consilii inops de reipublicae salute quid sentiant, perquirit.

Σοφιστικῶς Euripides fidos infidos, infidos fidos haberi jubet. At Aeschylus desperare se dicit de illa civitate, quae probis civibus despectis, pessimis utatur. Aeschylum igitur Athenas reducendum esse judicat.

Act. V. Sc. V.

Certamine peracto Plutonis domum intrant ut hospitali excipiantur epulo. — Chorus laudes praedicat summi artificis ad civium salutem in patriam remeantis, Socraticae *αμουσίας* adversarii acerrimi. Tandem Aeschylus tragico throno Sophocli interim relicto suis ipsius carminibus celebratus, Plutone et sacro mystarum choro prosequentibus, a Baccho ad superos rursum reducitur.

THESES.

I.

Perperam Hamakerus (Mnem. VI, 2, pag. 209) Ranarum vss. 26—29 insitivos esse statuit.

II.

Perverse idem vs. 180 spurium esse judicat.

III.

Inepte Luc. Char. in fine verba *βασιλεῖς*, *πλίνθοι χρυσαῖ*, *ἑκατόμβαι*, *μάχαι* ab Luciano abjudicant.

IV.

Luc. Char. II verba *καὶ τὴν Πλούτωνος ἀρχὴν ζημιοῦν* delenda sunt.

V.

Sophocl. El. v. — *ἄστρων εὐφρόνη* perperam explicantur *εὐφρόνη ἀστερόεσσα*.

VI.

Minus recte Hermannus El. vs. 19 verbum *σαφῆ* interpretatur *ὥστε σαφῆ γίγνεσθαι*.

VII.

Perverse Bake Schol. Hyponn. I, pag. 60 ad Cic. Sext. c. VII verba *fuerat ille annus — tanquam intentus arcus* ita mutat: *attulerat ille annus — tanquam intentum arcum.*

VIII.

Cic. Sext. c. 1. 1. cum Bakio legendum est *is hoc tempore miretur potius.*

IX.

Aristoph. Ran. vs. 1432 recte Fritzschius emendavit et explicat (scribens *Λέοντα*, qui ante pugnam ad Arginussas inter X duces fuerat).

X.

Perperam Bakius Schol. Hypomn. ad Cic. Sext. c. 4, 9 damnat *idem — idemque.*

XI.

Aristoph. Ran. vss. 1437—1441, 1452, 1453 insitivi habeantur.

XII.

Ingeniose Bentl. Tusc. Disp. I, 28, 69 pro *deorum cultorem* restituit *terrarum cultorem.*

XIII.

Perverse Jahn Juv. Sat. III, vss. 17—20 versibus 12—16 praecessisse perhibet.

XIV.

Cic. de Or. II, 2 verba *quum essemus eiusmodi* ingeniose Gulielmus emendat, sublatis parentheti signis scribens *quum essemus eius domi.*

XV.

Aristoph. Ran. vs. 1133 cum Kockio sic emendo: *πρὸς τρισὶν ἰάμβοισιν προςοφλὼν γέλων φανεῖ.*

XVI.

Cic. Tusc. I, 22, 52 cum Tischero legendum censeo: *non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum tributum deo.*

XVII.

Soph. El. 114 ita legatur: *ὁρᾶτε δὴ τοὺς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους.*

XVIII.

Errat O. Müller Gr. Litt. I, 230 A, ubi haec habet: 'den Gemälden Juvenals fehlt der Hintergrund einer schönen und erhebenden Vorstellung von Rom, wie es sein sollte, oder wie es in früheren Zeiten gewesen.'

XIX.

Justo jure Lucianus a crimine christianae religionis irrisae liberatus est.

XX.

Perverse Mommsen ita statuit: 'Nur von der verachtlichen Unredlichkeit oder der elenden Sentimentalität kann es verkannt werden, dass es mit der Befreiung Griechenlands den Römern Ernst war.'

XXI.

Rectissime Carl Peter (Stud. zur Röm. Gesch.) 'Was Macchiavelli aus seinen Studium der Geschichte und aus seiner Beobachtung Dessen, was zu seiner Zeit um ihn herum überall geschah, als Theorie gezogen hat, das haben die Römer vom Ende des 2. Pun-kriegs bis zu den Gracchen praktisch ausgeübt.

XXII.

Te recht zegt Opzoomer, De Godsd., 3e Aflev., 'De bewijzen .... voor Gods bestaan aangevoerd .... zijn geen van alle sterk genoeg, om ons tot toestemming te dwingen.'

XXIII.

Verwerpelijk is eene uitsluitend-subjectieve historische kritiek.

XXIV.

's Menschen wil is geheel onvrij.

XXV.

Ten onrechte schrijft Dr. Pierson (Over Stijl, Kunstkronijk 1864. Afl. 21) het kind meer oorspronkelijkheid toe dan den taalgeleerde.

XXVI.

De spraakleer der moedertaal behoort bij 't onderwijs tot grondslag genomen te worden voor die van vreemde talen. (cf. Brill, Ned. Spraakl. Inl.)

XXVII.

Recte Schopenhauer d. W. a. W. u. V. I, 290: 'Kritik und Satire sollten ohne alle Nachsicht und Mitleid die mediokren Poeten geisseln, bis sie, zu ihrem eignen Besten dahin gebracht würden, ihre Musse lieber anzuwenden Gutes (d. h. Geniales) zu lesen als Schlechtes (d. h. Mediokres) zu schreiben.

NOV. 15, 1887.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 052 287 4

LIBRARY OF
0 003 052 287 4